



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXXXVI. De irrisionibus, contumeliis & convitiis in Christum in cruce pendentem à malevolis jactatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXXXVI.

De irrisionibus, contumeliis & convitiis  
in Christum in cruce pendentem jactis.

*Omnes videntes me, deriserunt me: Locuti sunt labiis,  
& moverunt caput. Psal. 21. 7.*

I.

**R**ectè David pœnitens, vel potiùs ipse Christus Filius Davidis, nunc pendens in cruce, per os Davidis se assimilavit nocticoraci, seu nocturæ aut buboni, prout habet Divus Hieronymus, habitanti in suo domicilio, omniumque avium, imò & hominum irrisionibus, contumeliis ac convitiis expositæ: *Factus sum sicut nocticorax in domicilio.* Et quomodo hoc? Adverte: *Noctua in suo domicilio inter tenebras lugubre concinit canticum, & cum capitur, ac super perticam alligata collocatur, quantocyùs ad eam quàm plurimæ solent advolare aves, irridentes, & vellicantes eam, ac plumas evellentes, proinde rectè pro lemmate ei affiges: Omnium peripsema.* *Psal. 101. 7!*

Christus Dominus priùs habitans in antro Oliveti, exinde in peccatis nostris captus, pro suo domicilio crucem elegit, ubi quasi in pertica elevatus à Judæis, Sacerdotibus, Scribis, Phariseis, militibus & ferè ab omni populo, velut nocticorax, irrisus, vellicatus, deplumatus vellicatus, improperiis saturatus, ac tandem occisus fuit: *Stabat populus speculans, & deridebant eum Principes cum eis.* Proinde rectè S. Leo: *Supplicium crucis irrisionum aculeis asperabant, & in quem manibus amplius favire non poterant, linguarum tela jaciebant.* Videamus plura ad doctrinam & correctionem nostram. *Luc. 23. 35. S. Leo serm. 4. de Pass.*

2. Inter tot adversa, quæ à propriis concivibus Jeremias quondam perpeffus est, nullum ei videbatur acerbius tormentum, quàm quòd ab omnibus irrideretur: *Factus sum in derisum omni populo meo: canticum eorum tota die.* Ita & Christo Domino in infami pendenti patibulo evenit, ubi inter innumeros dolores factus est omni populo in derisum; *Thren. 3. 14.*

Pfal. 68. 13.  
Landsparg,  
de Pass. art.  
48.

Prov. 19. 29.

4. Reg. 2. 22.

Bolland. 4.  
Jan. s. 203.

Job. 30. 9.

Le Blanc. in  
Pfal. 68. 13.

sum; imò non tantùm irridebant eum, sed & in illum protervè cantillarunt, fistilarunt, ac sibillarunt; hinc Vates Regius: *In me psallebant, qui bibebant vinum*: bonum namque vinum & aromaticum, quod à piis matronis Christi nunc crucifigendo submissum erat, nefarii illi helluones ebiberunt, & vinum acetosum cum felle patienti Domino propinarunt. O irrisores, ô contemptores Dei & proximi! huc, huc adeste, & Jesum vestrum ab omnibus desertum ac derisum considerate: Audite Sapientem: *Parata sunt derisionibus judicia*; imò & æterna supplicia.

3. Elisei calvitiam petulantes riserunt pueri: *Ascende calvè, ascende calve*, sed malè à duobus ferocibus ursis tractati sunt: *Egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros*. Eliseus, ait Abulensis, typus Christi fuit in Calvarium montem ascendens, ibique crucifixi, & à pueris, qui (prout observat S. Anselmus, lapides & litum in illum projiciebant) & à cæteris impiis Hebræis illusi: *Si Fines Dei es, de cende de cruce*. O Jesu! quid adhuc pro nobis?

Pensa, & considera ex hoc, anime mi, in quantam miseriarum voraginem obtui causam devenerit optimus Jesus. Augetur sine dubio etiam viro cordato ac probò miseria ac dolor, si innumeris presso angustiis nullus sit, qui compatiatur, & eum consoletur; Crescitque dolor, si pro compassione & consolatione in illum ab omnibus conficiantur gravissimæ injuriæ, convitia, derisiones & blasphemias. Et hæc omnia pretiosissimus Redemptor meus pro me passus est! Ah lacrymæ meæ ubi estis? Ego vix verbum asperum portare possum, & quid pro me Christus? Audi ipsum loquentem, dum in cruce confixus Beatæ Angelæ de Fulgineo apparuit, & hæc sequentia illi dixit: *Pro auribus tuis, quibus DEum offendisti, & audiendo vana & nociva, in talibus justis delectata, ego penitentiam maximam feci, nam auribus meis audivi multa, quæ multam & maximam tristitiam afferebant, scilicet falsas accusationes, detractiones, insultationes, maledictiones, derisiones, subsanationes, blasphemias, & iniquam contra me sententiam*. Et qualis tua erit sententia?

4. Job toto corpore saucius, imò totum vulnus, atque ab omnibus, tanquam homo monstruosus & abominabilis despectus & irrisus, dixit: *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium. Abominantur me. & longè fugiunt à me, & faciem conspuere non verentur*. Quæ omnia in Christo crucifixo fuerunt adimpleta, in quem & cantica, ait Le Blanc, in compitis & conviviis faciebant, ac decantabant. Et quid de illis corpus ejus per sex ferè horas in Calvario jugo custodientibus? *Et sedentes*, ait Matthæus, *servabant eum*, videlicet milites & lictores, carnifices & tortores, ac infima & insana fax plebis, hi omnes vel sedebant, vel stabant, aut jacebant in circuitu crucis insultantes cruci-

crucifixo & morienti JESU; proinde rectè S. Chrysoſtomus: *Non poterant adhuc animum explere, sed & in patibulo pendentem videntes, amaris eum impetunt verbis, quæ & rebus ipsis mihi graviora videntur.* Sic adimplerunt illud Davidis: *Quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et tu ô peccator! nunquid & idem facis, si de novo in peccatum mortale ruis? Et tu?

5. Quàm gravis insuper fuerit Christi in cruce pendentis dolor, apparuit ex Propheta Jeremia, qui brevibus verbis de illo vaticinatus est: *Dabit percussenti se maxillam, & saturabitur opprobriis.* Exclamavit quidem in cruce: *Sitio*, quo verbo ostendit se sitire plura adhuc pro salute nostra pati tormenta ac vulnera, sed non perinde etiam plura opprobria ac convitia, quibus omninò exsaturatus est; Unde advertit S. Matthæus, quòd post tot acceptas contumelias, irrisiones, blasphemias: *Prætereuntes autem blasphemabant eum &c.* ad Patrem exclamaverit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Observa cum S. Cypriano, nunquam in passione Dominus se à Patre esse derelictum conquestus est, quàm ubi illius fama tam atrociter dilacerata est, dum principes Sacerdotum, Scribæ & Pharisei ac infana plebs, velut rabidi ac mordaces canes crucem circumstantes, vel juxta illam prætereuntes plenis eum faucibus allatrarunt: *Circumderunt me canes multi: Concilium malignantium obedit me.* Et tu vis esse talis canis, homo Christiane, allatrans JESUM & hunc crucifixum? Ah quæso, quid aliud agis, dum in templo in tremendo missæ Sacrificio rides, jocularis, fabularis, & cachinnaris (ne dicam quid aliud) quàm quòd de novo Christum crucifixum irrideas? *Si demones credunt, & contremiscunt;* ubi est fides tua? ubi devotio tua? Si daemones esse bonum Christianum, & in conspectu divini Judicis, multorumque Angelorum millibus rides? O hæbilis risus! ô desolatio magna in loco sancto, ex quo subinde, adimpletâ peccatorum mensurâ, regnorum & provinciarum imminet ruina & interitus. Audite Ludolphum Carthusianum: *Multis non sufficit Christum crucifigere peccando, sed etiam derident crucifixum, peccata iterando, vel de peccatis se jactando &c.*

Thren. 3. 38.  
Jo. 19. 28.

Matth. 27. 39.

Psal. 21. 17.

Jacob. 2.

Ludolph. Carth. de Vita Chr.

6. Riserunt quondam Philistæi Samsonem vinctum, exoculatum, incarceratum, agebantque dies festos ac ludos, ut magis illi tanquam inimico pessimo insultarent; textus Hebraicus habet: *Vocate Samsonem, ut ludatur, & rideatur à nobis,* sed inter tam miserabilem lusum concussit Samson duas columnas domûs, quibus innitebatur, ex cujus ruina Principes & tria Philistinorum millia secum obruit, ac sepelivit: *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus alteramque earum dextrâ, & alteram levâ tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philistiim, concussis.*

Judic. 16. 29.

*cusque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes & cateram multitudinem &c*

S. Aug. serm.  
107 de Temp

Judic. 16. 23

Luc 23. 47.

Salmer. Tom.  
10. tr. 40.

Samson Christi typus fuit, ita S. Augustinus, illusi & irrisi in cruce; Samson vindictam in hostes spiravit: *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc sortitudinem pristinam, Deus ultionem recipiam*: Christus crucem clamavit: *Pater, dimite illis*, proinde omnia ejusmodi scommata & convitia patientissimo animo sustinuit; potuisset quidem, & hoc sine dubio, duas crucis ad invicem concutere columnas, & uno momento perdere mundum universum, non tamen fecit, ut inimicis suis adhuc praeberet poenitentiae spatium, unde multi adhuc ex illis irrisoribus ad Deum conversi sunt: *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Verè hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui steterant ad spectaculum istud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua vertebantur.* Finio hanc considerationem cum doctissimo Salmerone, qui ex praedictis derisionibus Christi hanc moralem eruit doctrinam: *Hac impropria maxime nobis posuit adversus illa, quae in hora mortis consuevit demon in nos jactare. Nam cum videt corpus deficere, & anima exitum insere, Sathan omnia peccata, quae suis suggestionibus admisimus, nimio terrore nobis objicit, ut in desperationem inducamur, sed fructum passionis Dominicae consecutis irrisiones Sathanae nocere non possunt. O Christiani, fugiamus ad passionem Jesu &c*



## CONSIDERATIO LXXXVII.

Christus, licet multum à Judæis sollicitatus, non tamen descendit de cruce, ut nos doceret perseverantiam.

*Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Matth. 27. 42.*

I.

**E**leazarus unus de primoribus, & vir Sanctus, cum pro lege Dei extrema pateretur tormenta, non descendit de cruce & equuleo, in quo erat suspensus, & rigide, velut tympanum, distentus, ac fustibus pulsatus, sed permansit in omni tentatione con-